8.

DISPUTATIO INAUGURALIS

THEOREMATA

Quædam

PHILOSOPHICA

Ex amœniſſimo Philoſophiæ vireto carptim ſelecta exhibens.

Quam

DIVINA DISPONENTE ET ADSPIRANTE GRATIA,
Ex decreto & unanimi approbatione Venerandæ Facultatis Philoſophicæ
In Regia & Florenti Academia CHRISTINEA
SUB DIRECTIONE
Reverendi & Præclariſſimi Viri,

DN. M. NICOLAI L. NYCOPENSIS, Log. & Poëſ. Prof. Ordinarij, Præceptoris, Fautoris & Promotoris ſui calido obſervantiæ cultu continuè colendi,

Pro Magiſterij Gradu in Philoſophia obtinendo, publicè diſcutiendam ſiſtit

JOHANNES SVEN. WASSENIUS
W-GOTHUS. Stipend. Regius.

Ad diem 7. Aprilis, Anni 1647. horis locoq; conſvetis.

Seneca.

Non eſt Philoſophia populare artificium, nec oſtentationi paratum. Non in verbis ſed in rebus eſt. Nec in hoc adhibetur, ut aliqua oblectatione conſumatur dies, ut dematur otio nauſea. Animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, ſed & gubernaculum eſt; & per anceps fluctuantium dirigit curſum: Sine hac nemo ſecurus eſt.

ABOÆ Excudebat Petrus Wald/ *Acad. Typogr.* 1647.

Ingens Sveciæ Decus, Religionis columen & culmen eminens,
Admodùm Reverendum Virum ac Dominum,
DN. JONAM MAGNI VVEXIONENSEM, S. S. Theol. & Phil. Doct. celeberrimum, Scarensium Episcopum graviſſimum, Senatus ibidem Eccleſiaſtici Præſidem & Gymnaſij Ephorum ampliſs. Evergetam & Patronum ut deſideratiſs. ita venerando obſequio indeſinenter & reverenter ſuſpiciendum.

Nec non

Plurimùm Reverendum, magnum magniq; nominis virum,
D. M. OLAUM SVENONIS FRISTADIUM, Theologum Præclariſſimum, Eccleſiæ Scarenſis Paſt. Digniſſimum & Synedrij Eccleſiaſtici Adſeſſorem Primarium, Mecœnatem & promotorem certiſs. jugi obſervantiâ æternùm devenerandum.

Ut Et

REVERENDOS, CLARISSIMOS & PRÆſtantiſſimos Collegij ibidem Sacri Synedros & Gymnaſij Lectores fidiſſimos, promotores, fautores & amicos ſinceră honoris & amoris promptitudine ſemper proſequendos.

Simul ac

Venerandos & Humaniſſimos Viros,
DN. SVENONEM JONÆ, Eccleſiæ Wennerſburgenſis Paſtorem fideliſſimum, Parentem meum Chariſſimum, omni reverentiæ, obedientiæ & gratitudinis zelo filiali ætatèm colendum.

DN. ANDORUM LITHENIUM, Paſtorem in Frennefärs meritiſſimum, Fautorem & benefactorem meum propenſiſſimum, condignè honorandum.

Hâc Diſſutatione Inaugurali etiam dono & honore
JOHANNES WASSENIUS.

THEOREMA I.

Diſciplinæ Inſtrumentales ad Reales diſciplinas commodè perdiſcendas ſunt apprimè neceſſariæ.

PHiloſophiæ tàm auguſtam eſſe faciem, ut non ſecùs ac lampas phœbea radijs ſuis, intuentem obfuſcet, in confeſſo eſt. Si verò ſplendentis hujus Reginæ vultum, genuinam Aquilarum prolem æmulantes, intimiùs contemplemur, adſpectus ejus jucundiſſimus judicij noſtri oculum non ferit, ſed acuit atq; perficit egregiè. Ne verò ex ſpiſſiſſimo caliginis & ignorantiæ ergaſtulo (*in quod nos primi hominis detruſit vitium*) In philoſophiæ theatrum coruſcum extracti cœcutiamus, GRAMMATICA, quæ ſermonem congruè loquendi informat: RHETORICA, quæ eundem aptè exornat: Et LOGICA, quæ mentis diſcurſum dirigit, opus eſt. Quomodo enim commodè rem aliquam eloquetur, ſermone qui caret congruo & eleganti: quomodo verum â falſo diſcernere, rationem ſolidam â Sophiſtica dignoſcere, cauſam â non cauſa, faciem â fuco diſtingvere queat, artis rationalis ſubſidio qui deſtituitur. Nullus ſine his in illis feliciter unquàm progreſſus naturaliter. *Inſtrumentales* dicuntur, quippè quæ in hoc omnes conveniunt, ut diſciplinis *Realibus* inſerviant & ad illarum perceptionem faciliorem uſum præſtent eximium. Hæ itaq;, mediocris inſtar luminis, ad clariora nos ſine noxa exacuunt præparantq;. Ut enim homo pedibus, manibus & concinnâ partium diſpoſitione carens, ad res

præclarè obeundas ineptus, etiam pro monſtro reputatur; ita quoq; haſce negligens, in alijs diſciplinis veritatem denſâ nebulâ involutam vix inquiret: monſtroſa, ſi quæ ſint, deliria in ipſa Philoſophia, imò etiam ſuperioribus facultatibus, *Theologiæ*, *Iuriſprudentiæ* & *Medicinæ* gignet, deplorandum magis, quàm ridendum ſeſe eruditis exponens. Inſtrumentales ergò diſciplinæ Ariadnæum nobis communicant filum, quo ducti, monſtroſum inſcitiæ Minotaurũ humano Labyrintho incluſum ſuperabimus.

CONSECTARIUM. *Logica diſciplina audit Practica.*

II. Ens in univerſaliſſima ſua ſignificatione eſt Subjectum Logicæ operationis adæquatum.

DE *Subjecto* Logicæ dum ſermo eſt, ſciendum de illo inter ſeſe variè controverſari philoſophos, quorum divortia apud *Scheib. introd. Log. c. 1. diſp. 3. Hunn: in proœm. can: Log. Barth. Ianit. quæſt. 93. & ſeqq:* videre eſt. Alij *enim voces ſignificativas*, alij *ſyllogiſmum*, alij *orationem quæ eſt ignoti manifeſtativa*, alij *ens rationis in totâ ſua latitudine*, alij *operationes circa entis dirigibiles*, alij aliud pro ſubjecto acceptant Logico. Verùm de *adæquato* ſubjecto *operationis* loquendo (*de illo enim Logicus primariò ſollicitus eſſe debet*) ſententias has, velut inadæquatas, & proindè exorbitantes ſuis relinquimus patronis. Neoterici fere omnes vel *omne ens*, vel *ens* & *non-ens* adæquatum operationis Logicæ ponunt objectum: Tutantur *illud* Peripatetici, Ramæi *hoc*. Nos autem duas haſce ſententias facilè convenire putamus, ut verbalis velitatio, quàm realis dimicatio magis appareat, fatente Nobili peripatetico *Hunnio*. Qui *omne ens*, cum aliqua ampliatione

entis

entis vocabulum ſumendum eſſe docent, ut *entia* etiam *ficta*, cum reali tamen conceptu poſita, includat; quæ *omne ens* & *non ens*; hoc conſiderant, non quatenùs *non-ens* & ſimpliciter nihil eſt, ſic enim nulla illius cognitio, nullus conceptus; Sed quatenùs ex fictione intellectus aliquam entitatem acquirit. *Negationes* autem & *Privationes* non admittunt omnes, quæ tamen cùm per affirmationem intelligibilia fiant & aliquam ſortiantur entitatem, quin ſub objectum hoc cadant Logicum, nil impedit. Tota ergò res eo redit, quod ens in univerſaliſſima ſua ſignificatione adæquatum Logicæ operationis ſit ſubiectum.

CONSECTARIUM. *Subjectum Demonſtrationis non eſt idem quod conſiderationis.*

III. Prædicamenta pertinent ad Philoſophiam primam & Logicam.

Apta diſtinctio ſæpè inſtar commentarij eſt. Inter *materiale* itaq; & *formale* cum Philoſophorum choro hìc non incommodè diſtingvimus. *Illud* varijs diſciplinis poteſt eſſe commune; *hoc* certæ alicui reſtrictum peculiare eſt. Prædicamenta itaq; à *primo Philoſopho* conſiderantur, *Ratione ſuæ Naturæ & eſſentiæ*, quatenùs nempè entia ſunt, & entis affectiones in ſe recipiunt; A *Logico* verò *Ratione prædicationis ſive Categoriæ*, quatenùs videlicet, Subſunt *Notionibus ſecundis*, ut ſecundæ in primis, tanquam ſubjecta materia definitiones & diviſiones extruere, quæ de alijs generaliter, quæ ſpecialiter enuncientur, oſtendere doceant. Accidentia enim cùm ſint Notiones ſecundæ, requiritur, ut in *primis*, velut ſubjecto neceſſario, ſuſtententur & fulciantur. *Prædicamenta ergò ſpectant ad primam Philoſophiam Realiter, diſtinctè & ſcientificè; Ad Logicam intentionaliter, confuſè & practicè.*

CONSECTARIUM. *Veritas argumentorum Logicorum in ipſis rebus debet fundari.*

IV.

IV. Subſtantia Accidente prior eſt.

VArij *prioritatis* ſunt *modi*, ſecundum quos ſubſtantia accidente prior eſt, curæ tamen videtur pretium notare, ſubſtantiam priorem eſſe accidente, non *alieno quovis*; Sed *ſuo*: accidens enim hominis ſenio confecti ſubſtantiâ adoleſcentis prius eſt; Subſtantia itaq; *Suo* accidente prior eſt 1. DEFINITIONE: Nam *hoc* ab *illa* dependentiam poſtulat, non vice verſâ. Accidentis definitio ſubjectum requirit, *jam accidens alterius accidentis ſubjectum non eſt, quod illi exiſtentiam, accuratè loquendo, communicare valeat.* 2. NATURA: Dependentia accidentis â ſubſtantia ex ſubjecti, cujus mentio facta, neceſſitate ſatis innoteſcit. Subſtantia cùm eſſe largiatur accidenti, prior quoq; eo *naturâ* ſit, manifeſtum eſt. 3. COGNITIONE: *Modum eſſendi ſequitur modus cognoſcendi*, At accidentia poſteriora eſſe *in eſſendo* modò probatum; erunt idcircò etiam in *cognoſcendo*. *Nec obſtat*: Nullam ſubſtantiam per ſe, ſed per accidentia in ſenſus incurrere: Hic enim cognitionem conſideramus, non *ordine generationis*, quatenùs videlicet p accidentium cognitionem in ſubſtantiæ notitiam devenimus; Sed *ordine intentionis*, quatenùs nimirum accidentia propter ſubſtantias cognoſcendas ſcrutamur. 4. TEMPORE: Hic tamen prioritatis modus ad *ſeparabilia accidentia* videtur reſtringendus: *Adjuncta* enim *propria* ſive *accidentia inſeparabilia* ſuis ſubjectis ab ipſo ortu coæva ſunt & reciproca, ac cũ illis oriuntur & occidunt. Remove ab igne calorem, ab aqua frigus; ignis & aqua ampliùs non erunt. *Diſjunctim* itaq; non *conjunctim* ſubſtantia Tempore prior eſt accidente.

CONSECTARIUM. *Accidentis diſtinctio in Prædicamentale & Prædicabile non rei, ſed vocis eſt.*

V. Ac-

V. Accidens non potest producere substantiã.

Accidens substantiæ multifariàm quomodo cedat, præcedens monstravit theorema. Ejus esse ab hac totaliter cùm dependeat, hanc producere nequaquam potest. Per se subsistit substantia; accidens non nisi in substantia; illud ergò, cùm hâc sit ignobilius & toto genere deterius, quomodo substantiam gignere possit, non video. Calor dum pullum ovo excludit, vermiculos putridâ materiâ extrahit, pullum & vermiculos non producit: *animatum namq; ab inanimato nunquam exsurgit.* Chrysopœiam laborioſus dum instituit Chymicus, ars aurum non efficit, sed Naturæ operanti ad hoc præstandum inservit. Non ergò in accidentalibus acquiescendum causis: Minorem accidentia habent entitatem, quàm ut ullam substantiam queant producere, hinc, ne mille quidèm accidentia pro unica sufficiunt substantia.

CONSECTARIUM. *Causæ instrumentales effectum non determinant.*

VI. Phantasia nunc proprium, nunc alienum mutat corpus.

NE Herculis in bivio constituti, viâ veritatis omissã ad alterutrum deflectamus latus, imaginationis viribus vel nimiùm tribuendo, vel etiam plus justo detrahendo, stupenda ejus opera â *Natura* & *Experientia* dictata agnoscere & mirari hìc fas est, rimari sufficienter non datur. Assertionis itaq; hujus sensus per duas distinctas propositiones eruetur, quarum

1. *Phantasia actione primariâ, immanente, per se & directè neq; proprium neq; alienum mutat corpus.* Primarium enim ejus munus est, partim species â sensu communi delatas diutiùs examinare ac in phantasmatis naturam convertere, partim ex istis propriâ industriâ novas

novas effingere; hujus ergò proprium erit, cognoscere, non propriâ virtute effectus aliquos producere, alia vè in corpora agere. Nam si per simplicem imaginationis actum illud efficeret phantasia, *utiq; nullus quem hodiè vexare inciperet morbus, cras aut perendiè non convalesceret*, cum graviter decumbentes, de sanitate, ceu summo bono, multa sæpiusculè cudant phantasmata. Et Medici de morbo aliquo intentiùs cogitantes, nõ protinùs â morbo isto infestantur.

2. *Phantasia actione Secundariâ, Transeunte, per accidens & indirectè corpus cùm proprium tùm alienum mutare potest.* *Proprium* quidem, qvum anima phantasiæ operâ proprium suum domicilium mutat. Sic qui ferri vel dentium subaudiunt stridorem, aut fructus austeros comedi spectant, horrore perfunduntur non minimo: Hinc læta cogitantes, lætantur, tristia tristantur, fœda nauseant, cibos delicatos, salivam in ore sentiunt: Tempore pestis quidam periculi timore de peste sibi imaginantes in eandem incidunt. Adolescentem quendam unicâ duntaxat nocte forti imaginatione canum atq; seni decrepito similimum factum fuisse, loqvuntur historiæ. Refert Experientissimus Sennertus, quendam nomine Vincentium tantam sibi imaginatum fuisse corporis molem, ut impossibile duceret, se per ostium posse transportari: Medicus, quo falsum tolleret phantasma, iussit eum per ostium transportari, quo facto, lamentabili voce conquestus est, se in ipso ostio totum intùs confractum fuisse, atq; sic paulò post expiravit. Modus autem quo phantasia mirabiles istos præstat effectus, â *Clariss. Sperl.* per omnium causarum & actionum coronam pulcherrimam eleganter proponitur: *Phantasia enim excitat appetitum: appetitus locomotivam: locomotiva spiritus & humores: spiritus & humores pro suo accessu & recessu mutant partes.* *Alienum* corpus afficere dum dicitur, Non intelligitur *corpus externum & remotum:* falsum enim est, imaginationem vi magnetiâ pollere tantâ, ut hominẽ ad multa milliaria trahere,

equo

equo deijcere, interimere vel aliquo alio modo afficere valeat; Sed *Internum*, quòd nempè *intra peripheriam proprij continetur corporis*: in quod etiam phantasia vel *Determinatum quid* sive *certam signaturam*, vel *indeterminatum aliquid* introducit. De *priori* res est obscurissima, quomodo nempè gravida mater à lacertâ, simiâ, mure, ranâ, &c. affecta, imaginem lacertæ, simiæ, muris, ranæ imprimat fœtui, & cur hanc signaturam & non aliam. Hìc sanè licet reperire quod negotium faceſſat eruditis, illudat curiosis. Ut aliquid tamen in re hac subtili pariter & difficili statuendum sit, dico phantasiam species anteà perceptas spiritibus & sangvini matris communicare, ac indè easdem ad spiritus & sangvinem fœtus, & deniq; ad ipsam facultatem formatricem deferri, ubi facultas formatrix à phantasia decepta, ad istarum specierum ideam operatur, atq; sic membra multis modis depravata efformat.

CONSECTARIUM. *Imaginatio non semper signat, nec omni tempore similiter.*

VII. Sapphirinus, cœlo qui adscribitur, color apparens tantum est, non verus, ex vaporibus cum lumine mistis ortus.

Diaphanum corpus cœlum est, subtilitate & perspicuitate translucida alia multis parasangis superans. *Visum transmittit crystallum, transmittit vitrum, transmittit aqua*, magis eapropter cœlum lumini transitum præbeat, necesse est. Falsa eorum opinio est, qui *cœlum minùs, stellas magis lucere* clamant: Nullum enim hìc *objectum visibile*, quod speciem de se spargat, deprehendimus; minùs ergò lucere quomodo queat? Multa aliter, quàm reverà sunt, videntur, ubi nempè ad *Visionem* omnia non

adſunt requiſita. Ebriis omnia ferè gemina: Sol matutino tempore ſolito apparet maior: idem vernali & autumnali tempore tripudiare non rarò videtur, & ſexcenta ſimilia. Tritum etiam eſt illud Poetæ:

Provehimur portu terræq; urbesq; recedunt.

Apparentem cœli eſſe colorem qui dicunt, in cauſa ejus ponenda non conveniunt. Quidam enim ad *tenebras & opacitatem* confugiunt, cœruleum iſtum colorem *tenebras illuſtratas* nominantes. Hæc autem ſententia ad rationis tribunal ſi examinetur, vereor, ne â delicatis malè audiat auribus: Tenebræ namq; *meræ* ſunt *privationes* & proindè nihil ponunt, ſed ſimpliciter luminis notant carentiam, ideoq; ad *cyaneum* hunc cœli colorem non quidquam faciunt. Quidam ad *vapores cum lumine miſtos* cauſam deferunt, quam ſententiam in ipſa *veritate*, quæ noſtratis philoſophiæ anima eſt, fundare videtur *ditiſſima mater Natura*, adſtipulante ipſâ rerum Regina Experientiâ. In arcu cœleſti ſpecioſiſſimo Iride é guttulis ſolis vel lunæ radiis commiſtis, reflexionis adminiculo varii ſurgunt colores, utpotè puniceus, viridis & cœruleus, ultimus hic â debiliſſimis oritur radiis, quod etiam vivo experimento, conſperſis in aërem ſtillis aqueis, poteſt probari.

CONSECTARIUM. *Oculus â cœli colore nec afficitur nec patitur.*

VIII. Cœnandum eſt liberaliùs quàm prandendum.

Vulgatiſſimi ſunt verſus Scholæ Salernitanæ:

Ex magna cœna ſtomacho fit maxima pœna;
Ut ſis nocte levis, ſit tibi cœna brevis.

Hanc ſententiam vulgi mores & conſvetudines ſeqvuntur & magni faciunt, dum neq; negotiorum peragendorum rationem habentes, neq; futuram cœnam temperanti trutinâ ponderantes, ſed in appetitu plus debito conniventes, immoderatâ ingurgitatione tempore prandij vacuum onerant ſtomachum; undè ipſâ *Neceſ-*

ſitate

ſitate non *Naturâ* præeunte n inûs cœnant, cûm vel exiguo vel nullo ſtimulentur appetitu, quòd in cibo priùs adſumpto Natura adhuc laboret. Cœnam autem prandio majorem eſſe ſumendam, priſcorum evincit *uſus*, efflagitat *Natura*: *plus enim temporis pro cibi coctione & cocti diſtributione cœnæ ſuccedit quàm prandio. Tempore nocturno, quo quieſcimus & dormimus, animali facultate ceſſante, operationes vitales & naturales fortiùs ſua exequuntur munia, ciborum coctioni impenſè litantes.* Theoremati huic robur conciliat eximium *frigus*, quod ſemper adeſt, *nocturnum*: propter hoc enim circumſtans calor hoſtem ſuum cognoſcens, ad interiora velut clypeum ſeſe confert ſeq; in unum colligendo munit, undè etiam concoctionis muneri excellenter præeſt: *vis unita ſe ipſâ diſperſâ fortior.* Hinc fit, ut ventres animalium hyeme calidiores, etiam tunc plus alimenti poſtulent, minus æſtate. *Externus* autem *calor* à radijs ſolis collectus, internum calorem non adauget, ſed ut ſibi ſimilem evocat & extrahit potiùs: *in tota quippe Natura raptus viget ſimilium & fuga diſſimilium.* Non tamen præſens theorema ſtatuit ventrem onerari debere vel in prandio vel in cœna: hoc utrobiq; ut nimium, ita naturæ inimicum. Nec poſt magnum prandium majorem cœnam capiendam: à menſa enim cum fame ſemper recedendum eſt, nec venter adeo cibis explendus, quin apud amicos edendi cella aliqua ſuperſit vacua. Rationes a. quæ pro contraria ubertim adferuntur ſententia, diſputationis conflictui reſervamus.

CONSECTARIUM. *Qui epulas in jentaculum, prandium, merendam, cœnam & commeſſationem partiuntur, incontinentes & luxurioſi meritò ſalutantur: ut vivamus edimus, non vivimus ut edamus.*

IX. Honorem & laudem appetere honeſtum eſt. Cedrinis digniſſimum tabulis eſt, quod ait magnus Eloquentiæ Hercules Cicero, *gloriâ omnes adſtudia*

incendi. Quemadmodum enim infamiæ timor, ſic etiam honoris deſiderium nobis â Natura implantatum eſt. Ille generoſorum pariter ac degenerantium index manifeſtus eſt, virtutis præmium & comes individuus, quo incitati & ſtimulati homines, præclara & heroica facinora nunquam intermoritura adire & perficere, labores improbos tolerare, inſomnes noctes ducere, innumeras moleſtiarum & difficultatum myriades devorare non unquàm grave ducunt. *Puſillanimitate* enim & *abjectione nimiâ* eum qui faſtidiunt, & Deo & Naturæ ingrati, imò contrarij, patriæ ſibiq; ipſis injurij ſunt, celebritate & bonâ famâ ſponte ſeſe ſpoliantes, *Laudem & honorem planè qui reijcit, virtutem ſimul damnat, Præclariſſimus Dn. M. Michaël Wexionius ait, cujus etiam de hac re vid. faſcic. controv. Ethic. memb. 7. q. 8. Ergaſt. Virtut. th. 45.* *Magnanimitate* verò vel *Modeſtiâ* honorem oblatum qui accipiunt, ſe ipſos immortalitate beant, Deo & Magiſtratui obediunt, patriæ, ſibi ſuisq; lucrantur. Illud tamen, quod Phœbus Ovidianus filio ſuo injunxit, ad rectæ rationis æquilibrium revocandum:

Altiùs ire volens cœleſtia regna cremabis,
Inferiùs terras; Medio tutiſſimus ibis.

De *ordinatis* itaq; & *moderatis* honoribus hic loquitur diſcurſus non de *immoderatis* & *præpoſteris*, ubi quis faſtu & vanâ præſumptione allectus, emendicatis honoribus Æthnâ graviora humeris ſuis imponit, quibus vel ferendis vel elevandis prorſus ineptus eſt.

CONSECTARIUM. *Qui ſe vel apud ſe ipſum vel alios effert aut extenuat nimis, mendacium committit.*

X. Religionum diverſitas in Republica perniciosa eſt.

Reli-

Religionem rerumpublicarum fundamentum & columnam esse firmissimâ nullus diffitebitur, cui extremæ impietatis fascino mentis acies præstricta non est, quâ solidâ manente & inconcussâ, floret utplurimùm Respublica; in hæreses disruptâ, vel *convertitur* vel *evertitur* facilè. Hinc enim truculenta Bellonæ flagella, seditiones, cædes, rapinæ, metus ac solicitudines, civitatum excidia, Regionum desolationes, pietatis & justitiæ exilia, Musarum fugæ, & in summa, omnia mala scaturiunt atq; in longum latum q; sese dilatant, quod historiæ sacræ & profanæ monstrant ad oculum. Exemplo nobis sint Galli, Angli & hodierno etiam adhuc die Germani, *quorum miseriam, Deus optime, clementi tandem adspice vultu!* Essemus etiam sine omni dubio Nos aliis hâc ratione exemplo, bellis tam periculosis impliciti & districti, nisi Deus solidum hoc Reipublicæ nostræ fundamen sartum tectum servasset, de cuius etiam puritate meritò nobis gratulamur. *Notandum* autem vix ullam in toto hoc mundi theatro reperiri Rempublicâ, de *merè unica* Religione, omnibus in universum sequestratis *hæreticis*, quæ glorietur: oportet enim (*Apostolorum inquit Coryphæus*) inter vos hæreses esse. *Magistratus* igitur *unam*, eamq; *veram* Religionem colere & propagare debet, *peregrinæ*, quantum fieri potest, ad regni limites, ne inundent, obicem ponere, *Erroneis*, si qui necessitate irrepserint, publica exercitia inconsultò concedere, taleśve ad concilia, *Religionem præcipuè concernentia*, temerè adhibere caveat. *Privatos* tamen, diversum in Religione sentientes, quamdiu nec occultis machinationibus, nec externâ vi pacem politiæ vel Ecclesiæ interturbare attentant, tolerari posse consonum: *Vi enim externâ deteriores, non meliores redduntur.* Omni proindè seculorum memoriâ celebratissimum est illud Stephani Reg. Poloniæ effatum: *Nolle se conscientijs dominari, siquidem*

Deus ſolus hæc tria ſibi reſervaverit, nempè creare aliquid ex nihilo, noſſe futura & dominari conſcientijs. Quomodo quæſo tot millia Judæorum aliorumq; hæreticorum perplurimi, ad orthodoxam Evangelij doctrinam converti potuiſſent, nullibi in Rebuſpublicis Chriſtianis locum ſi inveniſſent?

CONSECTARIUM. *Religionem animos deijcere & fortitudini minùs aptos reddere, falſiſſimum eſt.*

XI. Academiæ alicujus celebritati Novitas nil derogat.

Verus Academiæ flos non in multitudine, ſed docentium celebritate & dexteritate conſiſtit. Hæc, adſtipulantibus politicis, ubi eſt, vera etiam Academiæ eſt celebritas: hæc namq; Auditoria reddens frequentia, primarium florentis Academiæ ſtat argumentum. Regia hæc univerſitas *Nova* eſt, *celeberrima* etiam eſt: Nullum ad celebrem Academiam requiſitum hic deeſt. *Hic Theologiæ, Iuriſprudentiæ, Medicinæ totiusq; Philoſophiæ & Linguarum ſtudia in maximo ſunt flore & vigore. Profeſſores hic celeberrimi, omnibus virtutum præſidijs inſtructiſſimi, Doctrinâ Clariſſimi & Authoritate graviſſimi, quorum famam zelus in docendo ardens & labor Herculeus ſatis arguunt illuſtrem.* Ego, ne vini, aliàs ad bonorum palatum gratiſſimi, agam præconem, hæderam huic nullam ſuſpendo. Hoc ſaltem dico: *Nobis Svecis* ſi ex itinere ad hanc Academiam major difficultas, eadem utilitate recompenſatur peculiari & eximiâ. Periculum, cui volupe eſt, faciat, & candida atq; aperta pateſcet veritas.

CONSECTARIUM. *Utiliſſimum eſt Reipublicæ, rentes habere Academias.*

Hanc Noſtram cum membris omnibus

DIrI-

DIrIge, qVo CresCat Vernans In seCVLa Cana,
LaVs tIbI & eXsVrgat, ChrIste, benIgne DeVs.

Solidâ Eruditione & Morum Concinnâ suavitate Politissimo Iuveni-Viro,

DN. JOHANNI WASSENIO WGOTHO,

Amico suo sincerè dilecto, pro summis in Philosophia honoribus consequendis pulchrè & eruditè differenti.

QUi cupit è studijs pulchram portare Corollam,
Virtutem claram sublimi rupe locatam,
Excolat, & valido certet conamine mentis.
Virtutis Studio laudis penetratur in arcem,
Ipsius & nescit laus famaq; vivida lethum.
Sicut apes florum succo fragrantia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas:
Haud secus è studijs præstans WASSENIUS almis,
Musarum gnavus peragrans fragrantia prata,
Decerpsit flores virtutis nectare plenos.
Dulcia mella tibi Sophiæ dedit aureus hortus.
Quis igitur meritam laudisq; negare *Coronam*
WASSENIO possit? *Virtutis gloria merces.*
Euge hic prosit honos amplus tibi, candide amice:
Naturæ summus Moderator & ipse secundet,
Auxilium præstet; tandem tibi præmia larga
In Cœlis tribuat, voveo sic pectore toto.

Fausta & felicia quævis medullitùs precatur
GEORGIUS ALANUS
Phys. & Botan. Prof. Ord.

PHiloſophiam eſſe Pædagogiam ad Chriſtum, Magiſtram vitæ, indicem veritatis, animi pabulum, omniumq; virtutum matrem, quis tàm ſui oblitus, qui non ſentiat, quis tàm vecors, qui non annuat? ab hac interim multos quà laborum procellæ abſterrent, quà ſordidæ rei procuratio avocat, juxta ac æmulandi Studium rei difficultas imminuit. Verùm tu, mi WASSENI, Patriæ noſtræ flos, hiſce maſculè exantlatis, ſuperatis, eum, quem penè manibus attingis, in illa gradum, qui decantatur omnium maximus, conſequuturus es. Accipies proindè, quò tuæ à primis annis nunquam intermiſſæ vigiliæ, quò tui ad virtutem præclari ſpectabant impetus, tuo genio tuiſq; elegantioris doctrinæ ſtudijs provinciam: quã quoq; multi multo ab hinc tempore, ingenij animiq; tui præſtantiâ optimarumq; artium amore igneo recreati, animo ceu intuentes præſagivêre. Gaude tam excellenti bono ac ita fruere, quaſi fonte bonorum omnium & quaſi omnium maximo! Propterea utriq; noſtrum gratulor; tibi, cui tanta manebunt virtutum præmia, induſtriâ ac curſu tuo ſoſpite parta; mihi, qui indubitatus Augurijs provideo, qualis quantusq; in hoc laborioſo campo, quo tuæ eruditionis copia excurrat, candidorum & proximiùs te habentium cenſurâ ſis futurus. Hoc loco mihi venit in mentem fatum quorundam hominum (qui ex demiſſa barba doctrinam metiuntur) ſingulare meditanti, quòd prætendant tuam ætatem juvenilem, tanto muneri ferendo non poſſe ſufficere; atqui dubitent, qui te ignorant; cæteri dubitare non poſſunt ſi volunt, nec volunt ſi poſſunt: quin ſui judicij teſtimonio, ſatis ſuâ ſponte incitati ornent beentquè: Quod erit tibi unum inſtar omnium. Tuos inſuper in omni literarum genere progreſſus eximios declarant ſtudia, ſignificant ſingulares ingenij fœtus, teſtantur non-

non obscurè (quod familiam ducit) *tui acuti ijquè frequentes in Academia discursus*; *undè* quod ætas derogat, supplet rei literariæ dignitas'. *Hunc tu iccircò scrupulum, si quibusdam insideat, illorum animis olim, dum te ipsis patefeceris, omnium maximè eximes. Vale, dequè tua in me amicitia, quæ augeri nequit, altè velim existimes, cũ qua ego nec Sexcentorum aureorum Myriades nec (paucis dabo) ulla omninò fortunæ bona confero.*

Præstantissimo & Politiss. Dn. Candidato, fratri suo verè Pyladeo fidelis velut Orestes, hocce animi pignore honores' gratulabatur emeritos'

IACOBUS P. CHRONANDER
W.-Gothus.

Musarum & Virtutum cultu Politissimi, Doctissimiq; Juvenis-Viri,

DN. JOHANNIS S. VVASSENII,
Augustissimæ Philos. Candidati Præstantissimi, Præcept. olim sui & fautoris, gratâ devoti animi reverentiâ perpetuò Venerandi.

DISCURSUI INAUGURALI, & NOVIS MERITISQUE HONORIBUS'
HAC ELEGIA

FAuste dies, votis exoptatissime nostris',
Quèis celebret dignè te mea Musa modis'?
Dulcia sepositis pia mens age gaudia curis',
Ac modulo carmen liberiore cane.

Curitâ? Pierij ſunt gaudia digna JOHANNIS,
Quæ mea præcipuè læta Thalia colat.
Cujus Apollineô quondàm moderamine ducto,
Pegaſeæ fons eſt jàm mihi viſus aquæ.
Tàm mihi ſunt grati, quèis exornatur, honores,
Ornandus genitor quàm foret hiſce meus.
Accipe nunc ſolidæ Virtutis & Artis honores,
O decus Arctöæ, IANE diſerte, Scholæ!
Accipe, quæ meritô tibi Pallas, Apollo, Camœnæ,
Et Charites dudùm ſerta parata ferunt.
Hæc meruêre graves fauſto ſudore labores,
Hæc meruit pietas, candor, & alta fides!
Sic tulit ingentes Tyrinthius acer honores,
Intrepidâ frangens plurima monſtra manu.
Sic æterna vehet niveis te FAMA quadrigis,
Qui fera barbariæ monſtra labore premis.
Monſtra labore tuo quot ſint proſtrata, propago
Edocet ingenij nobilis hæceè tui.
Edocet illa quidèm, ſed pro ratione puſilli
Corporis: ingenium major arena decet.
Vidimus hunc omnes præſtantem laude Poëtam,
Carmina Pieriâ ludere docta chely.
Vidimus hunc Svadæ penetralia ſcandere celſa,
Dulceq; flexanimi fundere voce melos.
Vidimus hunc Sophiæ penetrantem viſcera divæ,
Irremeabilibus viſcera plena vijs.
Nòn ego proſtituo Paraſitica verba; probabit
Quilibet, hoc viſo, me ſibi vera loqui.
Hinc animo dudùm geſtit ſacer ordo virorum,
Hüic dare pro meritis præmia digna ſuis.
Has tibi gratamur, WASSENI docte, corollas,
Quotquot in Aonio nomen habemus agro.

Plau-

Plaudit Apollo n tens, & turba Novena, Camœnæ,
Plaudit ovans manibus læta Minerva pijs.
Fauſte ſenex, hujus genitor dignate vocari:
Nunc tua mens verſat gaudia quanta micans?
Fauſte ſenex, tantùm meritis tibi debeo nati,
Debueram vivo quantùm ego nupèr avo.
Ponite triſtitiam, fortiſsima pectora GOTTHI,
En, vehit hoc veſtrum gloria quanta decus!
Turpe ſit, eſſe aliquos veſtro procul orbe remotos,
Qui plaudant, ſegnes vos & habere manus.
Hìc vagus Aurajoki celebrem miratur alumnum,
Geſtit & in liquidis, Najades inter, aquis.
Noſtra Lycea micant, & Finnia ſaltat opima!
Weſt-Gothiæ ſaltus convenit ille magis.
Rumpere, livor iners, virtutibus umbra! beati,
Irrita livoris quos ità tela petunt!
Nos tibi frondentem plaudenti mente corollam,
Et ſtudio optamus proſpera quæq; tuo!
Laure Triumphalis, Muſarum grande brabeion,
Hoc meritum fauſto ſydere cinge caput:
Vergat in omne bonum tua frons, laudemq; Jehovæ;
Vergat & in Patriæ grande Patrisq; decus!
Delicium noſtri, WASSENI clare Lycëi,
Pectoris & meritò portio ſumma mei,
Sis felix, noſtriq; memor, quocunq; locorum
Te Deus, atq; olim fata ſecunda ferent!
Te canet ad ripas ABOÆ mea Muſa viciſſim,
Aurajoki clarias dum vehit almus aquas.

Gratitudinis & lætitiæ declarandæ e. ità rudi & nimis feſtinâ manu, tumultuariè, ex animo tamen, & M. applaudebat

PETRUS JACOBI WANÆUS
Satacundus.